



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 27. Lautrecus cum exercitu in Italiam missus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1527.

## §. XXVII.

*Lautrecus cum exercitu in Italiam missus.*

*Paul. Jov.* Sub idem tempus Galliarum Rex Ode-  
*in elog.* tum de Fuxo Lautreci Comitem in  
*Mem. du* Italiam contendere jussit, eoquod Prin-  
*Bellai l. 3.* cipes Gallis födere juncti ejus Imperium  
*Ant. de Vera* exoptassent. Non equidem eadem erat  
*hist. de Charl.*  
*V. p. 146.* Regi sententia ; memori enim adhuc  
 animo revolvebat Bicocensem cladem,  
 necnon jacturam Mediolanensis Duca-  
 tus, quem Comes sua perfidia amississe  
 accusabatur. Quapropter nonnisi im-  
 portunis, crebrisque Anglorum preci-  
 bus expugnatus, eidem exercitus Im-  
 perium deferebat, propria experientia  
 edoctus, aut prudentiam, aut fortunam  
 huic Belliduci defuturam, atque ex ut-  
 riusque hujus prærogativæ defectu com-  
 mune bonum eversum iri. Præterea  
 Lautrecus pro parte sua nihil non egit,  
 ut exercitus præfecturam a se amolire-  
 tur, suisque amicis genuinam hujus re-  
 pugnantiæ cauffam sciscitantibus secre-  
 to ita respondit: „Duo sunt, quæ haud  
 „parum pertimesco : I. Adversam fa-  
 „miliæ meæ fortem, ex qua nullus jam  
 „longo abhinc tempore absque violen-  
 „ta morte e vivis excessit. II. Abster-  
 „ret me cognita Regis indoles, eoquod  
 „ille

„ ille in expensis inutilibus profusus, Sæcul. XVI.  
 „ in necessariis nimium parcus esset. „ A.C. 1527.

Tantum valuere hæ rationes apud Lautrecum, ut nonnisi speciali atque iterato Regis jussu compulsus Vasconia proficisceretur, acceptatoque exercitus Imperio ineunte Mensē Augusto cum copiis suis Alpes transfiret, ex cuius adventu non parum Fœderatorum animi erigebantur. Recensebat in exercitu suo facile viginti sex armatorum millia, ex quibus præter decem Helvetiorum millia Valdemontius Comes sex peditum Germanorum millia, Petrus vero de Navarra totidem Vasconum millia, ac denique Buriesius quatuor millia Gallorum ducebat; ingens quoque tormentorum apparatus hasce copias ductore Mondragone Nobili Vascone sequebatur.

### §. XXVIII.

#### *Lautreci progressus in Italia.*

Lautrecus his copiis auctus Boscum, arcem in ditione Alexandrina sitam cinxit, ac decima obsidionis die mille præfidiarios qua Italos qua Germanos captos abduxit, qui omnes Gallorum Mem. du signis sua nomina dederunt. Inde exercitum suum Alexandrinæ Urbi admitit, ubi magno tormentorum apparatu, aliisque belli instrumentis a Venetis adjutus,

Bellai l. 3: